



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. III. Corollaria præcedentis doctrinæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

dicebamus, cognitionem futurorum contingen-
tium in testimonio Dei dicentis, & revelantis
ea, non procedere à scientia supernaturali Chri-
sto infusâ, sed à lumine prophetico, quod à lu-
mine gloriæ, & à scientia infusâ distinguitur,
per hoc quod lumen gloriæ creaturas in divina
essentia ut in causa cognoscit, scientia infusa il-
las in seipsis contemplantur, lumen autem pro-
pheticum testimonio Dei extrinseco innitur.

§. III.

Corollaria precedentis doctrinæ.

134. **E**X dictis colligitur primò, objectum scientiæ
infusæ animæ Christi esse ens creatum, pro-
ut in se supernaturaliter cognoscibile.

Patet hoc corollarium: Nam scientia infusâ
animæ Christi attingit omne ens creatum su-
pernaturaliter in seipso: Ergo sub aliqua ra-
tione omni enti creato communi: Sed non
est alia assignabilis, nisi ratio entis creati ut co-
gnoscibilis in se supernaturaliter: Ergo hæc
est objectum specificativum scientiæ infusæ ani-
mæ Christi.

135. Colligitur secundò, scientiam per se infu-
sam animæ Christi esse unum speciem habitum:
Nam ut ait S. Thomas in 3. dist. 14. quæst. 1.
art. 3. quæstionum. 4. ad 3. *Non quilibet specierum
diversitas fecit habitum diversum, aliàs oporteret,
quod quot sunt res, tot essent scientiæ; sed diversitas
specierum, quæ non reducuntur ad eundem modum
cognitionis secundum genus: Sed diversitas speci-
erum infusarum animæ Christi reducitur ad e-
undem modum cognitionis secundum genus,
nempe ad modum cognoscendi supernaturaliter
ens creatum in seipso, cum ratio entis crea-
ti, ut cognoscibilis in se supernaturaliter, sit ob-
jectum scientiæ infusæ animæ Christi, ut superi-
ori corollario dicebamus: Ergo scientia infusâ
animæ Christi est unus speciem habitus. Nec ob-
stat quod S. Thomas hic art. 6. ad finem cor-
poris sic dicat: *Et ideo scientia indita animæ Chri-
sti sit distincta secundum diversos habitus; loquitur
enim de scientia infusâ, non pro eo quod dicit
in recto, sed pro eo quod importat de connota-
to, & in obliquo, species scilicet intelligibiles
concurrentes objective, ut exponunt Medina,
Aravius, & alij recentiores Thomistæ ex Ber-
gomeni in tabula aurea dubio 12. & 16. ubi
hæc distinctione conciliat id quod D. Thomas
ait hic art. 6. cum eo quod in 3. lib. sententiarum
docuerat.**

136. Colligitur tertio, scientiam infusam animæ
Christi distingui à lumine gloriæ, à lumine pro-
pheticò à nostra Theologia, & ab habitu pru-
dentis supernaturalis.

Probatür breviter: Habitus & potentia di-
stinguuntur per objecta: Sed objectum scientiæ
infusæ animæ Christi distinctum est ab objectis
predictorum habituum: Ergo ab illis essentialiter
distinguitur. Major patet, Minor probatur.
Objectum luminis gloriæ est divina essentia ut
in se clarè & intuitivè cognita: objectum lumi-
nis prophetici est ens supernaturale cognosci-
bile ratione divini testimonij, seu revelationis
Dei evidētis, vel obscuræ: objectum Theolo-
giæ est Deus, ut subsans revelationi virtuali &
mediatæ: prudentia verò infusâ circa agibilia ut
propriū objectum versatur: Sed ens creatum
prout in se supernaturaliter cognoscibile ab
illis objectis distinguitur: Ergo objectum
scientiæ infusæ animæ Christi distinctum est ab

A objecto luminis gloriæ, luminis prophetici,
Theologiæ, & prudentiæ supernaturalis.

Colligitur quartò, scientiam infusam animæ
Christi non fuisse discursivam quoad acquisiti-
onem; bene tamen, quantum ad usum,
potuisseque intellectum Christi eâ uti discurre-
ndo.

Prima pars hujus corollarij patet, cum enim
hæc scientia fuerit divinitus indita, ideoque infu-
sâ appelleretur, non fuit acquisita per discursum,
nec inventionem humanâ comparata. Secunda
verò, quam Suarez, Vazquez, Delugo, & alij
Recentiores negant, est D. Thomæ hic art. 3. ubi
docet, quod licet hæc sententia non fuerit dis-
cursiva quoad acquisitionem, fuit tamen discursi-
va quoad usum, & quod intellectus Christi eâ
uti potuit discurrendo. Ratio etiam id suadet:
Discursus enim consistit in diversis cognitionibus,
quarum una ex alia deducitur: Sed licet ani-
ma Christi per habitum scientiæ infusæ potuerit
intelligere modò, quo intelligunt Angeli,
nempe uno actu cognitionis, essentiam & prop-
rietates, quæ repræsentantur per unam speci-
em infusam; quia tamen iste habitus fuit quoad
usum illius voluntati subiectus, potuit pro vo-
luntatis arbitrio illo utendo elicere unam cog-
nitionem non adæquatam cum repræsentatione
speciei, per quam sola essentia cognosceretur, &

C aliam ad solas proprietates terminatam; & con-
sequenter potuit essentiam & proprietates di-
stinctis cognitionibus, quarum una ex alia dedu-
citur, intelligere: Ergo potuit anima Christi uti
scientiâ infusâ discurrendo. Unde licet in Ange-
lis sit unicus dumtaxat modus intelligendi sine
discursu, qui modus, cum sit necessarius, non po-
test immutari; tamen in Christo est duplex mo-
dus intelligendi per scientiam infusam; ut enim
convenit cum Angelis, habet eundem intelli-
gendi modum; in quantum verò homo & via-
tor, habet modum connaturalem intelligendi
naturæ humanæ, nempe cum discursu, potestque
alterutrum eligere, & illo uti per scientiam in-
fusam. Unde Matth. 22. probavit discurrendo
se majorem esse Davide, dicens: *Quomodo si filius
ejus est, vocat eum Dominum, &c.* Qui discursus non
potuit esse nisi à scientia infusâ, cum per scientiam
acquistam animæ Christi mysteria super-
naturalia non cognoverit.

Dices: Per speciem immediatam objecti,
non potest illius cognitio ex alia cognitione deduci:
Sed Christus per habitum scientiæ infusæ,
omnia illius objecta cognovit per speciem im-
mediatam illorum, cum per talem scientiam res
creatas extra verbum in seipsis cognosceret:
Ergo non potuit utendo habitu scientiæ infusæ,
unam cognitionem ex alia deducere, nec pro-
indè discurrere.

E Respondeo negando Minorem, & ad illius
probationem dico, quod licet Christus per sci-
entiam infusam res creatas extra verbum cog-
nosceret, subindeque eas cognosceret imme-
diatè immediatione excludente essentiam divi-
nam, ut medium, non tamen per exclusionem
omnis medij; species enim quæ Christus per sci-
entiam infusam cognoscit essentiam substantiæ
creatæ, habet rationem medij, in quo & per quod
cognoscit proprietates quæ ab illa profluunt;
unde licet tales proprietates quidditative, & ut
sunt in se, per talem scientiam cognoscantur,
non tamen sunt per se notæ, sicut ipsa essentia,
sed per aliud, nempe per essentiam, cujus sunt

Huhh; pro-

proprietates; alioquin per habitum scientiæ infusæ Christus nullum objectum scientificæ & demonstrativè cognosceret, subindeque talis habitus non esset scientia, sed intelligentia, seu habitus primorum principiorum, qui solum veritates indemonstrabiles, & medio carentes attingit.

139. Colligitur quintò, Christum per scientiam infusam potuisse intelligere sine conversione ad phantasmata, vel cum conversione ad illa, pro voluntatis arbitrio.

Probat: Christus habebat duplicem modum intelligendi, alterum communem Angelis & Beatis, ut comprehensio; alterum communem hominibus, ut viator: Atqui per primum erat omnino independens à phantasmatibus; tùm quia habebat species infusas à Deo, sicut Angelis; tùm etiam quia habebat dominium supra suum corpus, ut Beati: Ergo ex eo capite non debebat necessariò uti phantasmatibus. Similiter ut viator habebat communem modum intelligendi cum alijs hominibus, ut èndò sensibus & phantasmatibus: Ergo ex eo capite poterat se convertere ad phantasmata, ut in ipsis rebus velut in speculis & exemplis videret, quæ per scientiam infusam cognoscebat.

140. Confirmatur: Quia scientia per se infusa, et si supernaturalis sit, fuit tamen in modo operandi proportionata naturæ humanæ, & modo naturali cognoscendi intellectus humani, qui est per discursum intelligere, potuit Christus illà uti discurrendo, ut præcedenti corollario ostensum est: Atqui etiam modus connaturalis intelligendi animæ corpori unitæ est intelligere speculari phantasmata, & convertendo se ad illa: Ergo eadem ratione Christus potuit uti scientiâ infusâ convertendo se ad phantasmata. Quod ut magis percipiatur, & argumento, quod in contrarium fieri posset, occurratur,

141. Notandum est cum D. Thoma in 3. dist. 14. qu. 1. art. 3. quæstionem 3. quod intellectus habet se ad phantasmata dupl. citè: Uno modo sicut accipiens à phantasmatibus scientiam, quod est in illis, qui nondum scientiam habent secundum modum, qui est à rebus ad animam. Alio modo secundum motum, qui est ab anima ad res, in quantum phantasmatibus utitur quasi exemplis, in quibus inspicit quod considerat; cuius tamen scientiam prius habebat in anima. Quamvis ergo scientia infusa animæ Christi non posset primò modò à phantasmatibus dependere, cum ab illis non posset species accipere, eò quod species tali scientiæ deservientes habitæ sint per infusionem; benè tamen secundò modò, potuit enim Christus uti tali scientiâ ponendo species super phantasmata, & in ipsis phantasmatibus objectum sensibile inspicendo, quod alias in seipso poterat per tales species cognoscere. Sicut ille qui potens aliquod objectum videre in seipso, voluntariè visum ad speculum applicat, illudque in speculo intuetur.

142. Colligitur sextò, scientiam infusam animæ Christi non fuisse semper in actuali consideratione omnium objectorum, ad quæ poterat se extendere, imò nec fuisse necessariò cum cognitione actuali alicujus objecti conjunctam; quia licet talis habitus esset supernaturalis & infusus, fuit tamen voluntati humanae Christi, quantum ad usum subiectus; eo modo quo habitus charitatis, licet sit supernaturalis, subditur tamen nostræ voluntati quantum ad applicationem & usum; unde sicut habitu charitatis uti-

mur quando volumus, & quantum volumus, & anima Christi utebatur scientiâ infusâ quando volebat, & per ipsam ea solum objecta considerabat, ad quorum considerationem illam applicabat.

Colliges septimò, scientiam infusam Christi esse quidem superiorem scientiâ Angelorum, non solum quantum ad claritatem & certitudinem, sed etiam quantum ad numerum scientiarum, cum per eam Christus cognoscat plura mysteria gratiæ, & futura contingentiæ, nec non occurrentium cogitationes, quæ Angelis non revelantur, ut constat ex dictis art. 4. Est tamen scientiâ Angelicâ inferiorem, quantum ad modum cognoscendi qui est naturalis animæ humanæ, nempe modum cognoscendi per discursum, & per conversionem ad phantasmata, ut ait Thomas art. 4. & quantum ad species quibus utitur; quia, ut idem S. Doctor art. 6. docet, species animæ Christi infusæ, sunt minus universales, quam species Angelis indicæ: quia sunt commensuratae intellectui humano Christi, qui non est ita perfectus sicut intellectus angelicus.

DISPUTATIO XVIIII.

De scientia Christi acquisita.

Ad quæst. 12. D. Thoma.

Postquam S. Doctor de scientia beata & infusâ animæ Christi disseruit, ut coram de scientia Christi tractatum per solvat, sequuntur de scientia à Christo acquisita, circa quam pauca occurrunt, articulis sequentiis discutienda.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum præter scientiam beatam, & infusam, constituenda sit in anima Christi Domini scientia per se acquisibilis?

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

Notandum primò: quod scientia per se acquisibilis illa dicitur, quæ tamen de facto à Deo aliquando infundatur (qualiter omnes scientias naturales fuisse Adamo in primo cœditionis instanti infusas, docet D. Thomas 1. p. qu. 94. art. 3.) per se tamen & connatur aliter per nostris actibus acquiri; ad differentiam scientiæ infusæ per se, cui vel repugnat esse taliter nostris actibus acquiri, vel licet possit de potentia absoluta illis effici, per se tamen & connaturaliter per infusionem haberi.

Notandum secundò: hic solum nos inquirere, an in Christo fuerit scientia quæ per se & ex natura sua ab homine acquisibilis est. Utrum vero Christus eam per accidens habuerit per infusionem, sicut Adamus: vel illam de facto propriis actibus sibi comparaverit, sicut nos eam acquirimus, dicemus articulo sequenti. His præmissis, pro resolutione difficultatis proponitur.

Dico breviter: constituenda est in anima Christi Domini scientia ex genere suo acquisita. Ita communiter docent Theologi cum S. Thoma supra quæst. 9. art. 4. excepto Richardo; licet e-